

nomine conscientia instinctu id expedire credentis, idem postulasse: dein gentium hereditario jure sibi subjectarum causa petitionem eandem iterasse, sed frustra; Cardinalibus ab ea alienissimis. Nunc itaq; nil velle statuere, nisi re in Consistorio Cardinalium prius deliberata, quod in diem decimum Decembris sit indicturus. Eo die Orator ritu solemni eorum, quorum de negotiis in Senatu agitur, Cardinales mane adit, in eundem locum dum Papa adventum prestolantur, congregatos, officiis singulos demulcens. Ex his prudentiores quiq; respondent, postulatum id esse ejusmodi, ut maximam requirat deliberationem, neq; temere de eo esse pronunciandum. Alios tanquam novum quid ac inauditum, vehementer conturbavit. At Cardinalis Cevenensis præfracte negavit sese unquam petitionem eam suffragio adjuturum, immo si ipse Papa de Consensu aliorum Cardinalium ita statuerit, se conscensis B. Petri gradibus alta voce Misericordiam imploraturum; neq; cessaturum dicere, Præsules Gallie hæreseos labe esse infectos. Et consentienter huic Card. S. Angeli dixit, se nunquam Pharmaci loco poculum Toxicum refertum populo Gallico propinaturum, multoq; satius esse, sinere eum expirare, quam ut ad remedia adeo exitiosa deveniatur. Quibus Legatus replicavit, Præsules Gallie bonis firmamenti & rationibus Theologicis niti, qui censuram adeo contumeliosam haud mereantur: rursusq; indignum sacri Ordinis proceribus sanguinem Christi appellatione veneni violare; & sanctos Apostolos, omnisq; Ecclesie primitiva Patres, & multorum post seculorum, qui mortaliū insigni emolumento spiritali cunctis Calicem illum sanguinis ministrarunt, habere pro veneficis. Ad eò injusta à justis impetrare fas non est, & justa contra ab injustis impetrare non licet. Istac quidam blasphemæ calumnia hominum rudiorū animos dementant, ut mos quoq; in nefanda ludibria in quibus ingeniosa solet superstitione erumpant pariliq; se crimine obstringant. Quid ergo mirum si Capitaneus iste Pragensis vel suo exemplo comprabârit quod nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur, dum in persecutione Husitarum

seu